



Pra. 30. num. 19. 37.

DE

177243.
177
12
IVDICIO HORATIANO EIVS.
QVE IN IVRE VSV

EXERCITATIO IVRIS CIVILIS

QVAM

ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAESIDE

1795
D. AVGVSTO FRIDERICO SCHOTT

ANTIQVIT. IVR. PROF. PVBL. ORDINIS ICTORVM ASSESSO-
RE, ET COLLEG. MINOR. PRINC. SODALI

DIE XXVII. MAII A. O. R. CIDI³CCLXXVII.

H. L. Q. C.

DEFENDET


AVCTOR

IO. FRIDERICVS IVNGHANNUS

ANNABERGENSIS.

LIPSIAE

EX OFFICINA LOEPERIA.



IN DIESEM BUCH
SIND
ENTHALTEN
DIE

RECHENUNGEN
VON
D. MATHIAS
SCHOTT

IN
D. JAHRE
1711

IN
D. DRUCK
VON
D. J. H. SCHOTT

IN
D. BUCHHANDLUNG
VON
D. J. H. SCHOTT

IN
D. STADT
VON
D. J. H. SCHOTT

IN
D. DRUCK
VON
D. J. H. SCHOTT





DE VSU IVDICII HORATIANI IN RE IVDICIA-
RIA ROMANORVM PVBLICA,

INSTITVTI RATIO.



Qui de iurisprudencia rite tractanda, pru-
denterque addiscenda praeceperunt vi-
ri doctissimi, ii omnes huius esse sen-
tentiae inueniuntur, vt putent, eum,
qui pro vulgari quidem ratione iurisprudenciam tractare
nolit, bene sibi esse consulturum, si, praeter alia iuris
scienciae addiscendae adminicula, antiquitatum etiam
iuridicarum suae illud quidem iucundumque studium

A 2

ad-

IV

adhibeat. Neque enim fieri potest, ut leges vel recte interpretetur aliquis, vel adcurate intelligat, vel denique speciebus, quae obueniunt, rite adplicet, nisi ex antiquitatibus, quatenus haec vel illa lex, cessante fortassis ratione primaria, in nostris etiam foris habeat locum, probe intelligat. Neque facile putem, inueniri posse vllum Themidis sacris initiatum, qui se omnino antiquitatum notitia carere posse contendat, qui in concedendo tam pertinax sit, quin ingenue fateatur, neminem sine harum notitia facile Iureconsulti eruditi nomen laudemque tueri posse, magnumque esse hoc antiquitatum studium legum recte cognoscendarum praesidium. Etenim, ut illud nunc silentio praeteream, quantam saepius Glossatores, ingenia illa scilicet elegantissima, antiquitatum imperitia ridendi carpendique praebeant occasionem, quod tamen potius temporum, quibus vixerunt, faciei, quam ipsorum Glossatorum ignaviae debet imputari: quis, quaeso, dicat, antiquitates esse contemnendas, cum alia plane religio, alii magistratus, aliae rerumpublicarum formulae, alia denique sint hodie iudicia? Vnde enim intelliges, ut exemplo utar, veterum nostrorumque magistratuum atque iudiciorum discrimina, nisi, quales illi veteres fuerint magistratus atque iudicia, te doceant antiquitates? Nullam igitur, si extra modum non prodeant, reprehensionem mereri videntur, qui multum operae temporisque in explicandis cuiusque iurisprudentiae partis antiquitatibus posuerunt, inter quos quidem maxime eminent, qui iuris inprimis Romani antiquitates interpretati sunt, CUIACIUS, HOTTOMANNUS, BRISSONIVS, EZ. SPANHEMIVS, SIGONIUS. Atque haec antiquitatum

tatum vtilitas et suauitas fecit, vt et ego, necessitate publice disputandi more maiorum mihi imposta, differendi materiam, cui non propter tractationem, sed propter antiquitatem aliquid inesset commendationis, mihi eligerem. Cogitanti itaque mihi de tali argumento, tam vtile iucundumque mihi visum est illud iudicium, quod vocant, Horatianam, vt praemissa eius historia, de eius vsu in iure ciuili praesertim vero in re iudicaria Romanorum publica, quantum pro virium quidem exiguitate fieri posset, pauca disserere statim apud animum decernerem. Ne tamen limites, quibus me circum scriptum sentio, transgrediar, duo tantummodo huius rei momenta mihi tractanda summam, quorum alterum pertinebit ad duumuiros capitales, Horatii iudicio nouiter institutos; alterum vero aget de prouocatione ad populum condemnatis hac occasione primum concessa.

CAP. I.

DE DVVMVIRIS CAPITALIBVS.

§. I.

Iudicii Horatiani historia.

Ex ponenda igitur ante omnia videtur ipsa iudicis Horatiani historia, vt et facilius, quem in iure Ciuili antiquiori vsu habeat, possit intelligi. Et quidem causam ei dedit bellum inter Romanos atque Albanos ortum. Quod cum sine magna caede, sine multo vtriusque populi sanguine finire vellet Albanorum

dax Mettius Sufferius, hanc ille belli componendi viam proposuit, vt, vter populus alteri imperaret, priuatorum quorundam certamine, decerneretur. Cum diu multumque disputatum esset, atque Rex Tullus ipse ad certamen cum Albanorum duce se obtulisset, decretum est, vt tres eligerentur ex vtroque exercitu viri, qui in conspectu omnium pro patria ferro dimicarent, ita quidem, vt cuius populi ciues victoriam reportassent, is alteri imperaret. Forte in vtraque tum ciuitate erant tergemini fratres, Horatii in Romana, in Albana Curiatii. Cum diuina prouidentia, quae multo ante hoc certamen praesciuisset, id factum videretur regibus, ipsique iuuenes, patris permisso, palmam huius pugnae referre quasi arderent, et locus et tempus certandi conuenit. Quod vbi adesset, ante, quam dimicaretur, maectatae victimae, foedusque ictum inter Romanos et Albanos his legibus: vt cuius populi tergemini victores rediissent, ei in alterum imperium competeret. Prodeunt iuuenes in campum ad certandum. Diu aequo Marte pugnatur. Paulo post occiditur Romanorum vnus ab Albano natu maximo. Clamant Albani vt victores; Romani, vt victi. Adstat Romano caeso frater, qui, impetum in Albanum victorem ex improviso faciens, multis illatis acceptisque vulneribus, illum occidit. Albano vero caeso, frater, qui ipsi proxime aderat, cum Romano percussore manus conferens, ipse poplite fauciatus, hostem interfecit. Supererat nunc duo Albani, vnus vero Romanus. a) Qui cum ani-

a) Ita DIONYS. HAL. *Ant. Rom. L. III.* Dissentire tamen videtur LIIIVS *L. c. 25.* qui narrat: duos Romanos, alium super alium,

animaduerneret, se facilius victurum esse, si cum singulis separatim, quam si cum omnibus simul, pugnaret, fugam, vt eos segregaret, simulauit. Quo facto cum respiciens magnis interuallis se Albanos sequi videret, in proxime sequentem celeriter se conuertens, eum magno impetu occidit; quo facto facili negotio vltimum, vulneribus illum quidem ita fessum, vt saepius claudicaret, gladio superne iugulo defixæ, interemit. Horatium victorem comiter excipiunt Romani ouantes atque gratulantes. Digredienti vero e Campo Horatio, cum primus patrem de victoria certiorum facere vellet, obuiam venit ante portam Capenam foror, vni ex Curiatis, a fratre occisis, desponsata. Quae videns super fratris, victricibus coronis a Rege ornati tergeminaque spolia prae se gerentis, humeros, sponsi, quod ipsa contexerat eique pro dono nuptiali miserat, paludamentum sanguine foedatum, b) defleta, vt omnes, qui aderant, ob stupefcerent, non fratrum, sed sponsi morte, multis fratrem criminatibus laceffuit. Qua re iratus frater, indigne ferens, quod in tanto omnium gaudio hostem lugeret, patriae fratrumque mortuorum in memor, stricto gladio fororem transfixit. Raptus in ius Horatius ad Regem. Rex vero, cum ipse iudicare noller, tum, quod non poterant eum absoluere, qui fororem se iniuria occidisse

aliam, corruisse; vt ergo supersuerit vnus Romanus, tres vero, non duo, vt vult DIONYSIVS, Curiatii. Res non est magni momenti. Sequendus tamen visus est Dionysius, cum pugnam ipsam prolixius et accuratius, atque Livius, tradat.

b) De paludamento vide sis plura apud LIPSIVM de militia Rom. L. II, Dial. XII.

VIII

diffe fateretur, tum, quod verebatur, ne populi sibi odium conciliaret, si eum, qui tam feliciter pro patria dimicasset, suaquae virtute Albanos in Romanorum rede- gisset potestatem, vltimo supplicio afficeret: nouam tulit legem, qua munus iudicis in alios devoluens du- umuiros perduellionis, qui loco eius iudicarent, insti- tuit, simulque, quia sperabat, populum non quidem iure causae, sed ob recens eius factum Horatium fa- cile esse absoluturum, concessit ei, si forte a duumui- ris condemnaretur, prouocandi ad populum libertatem. Condemnatus itaque a duumuiris hac lege creatis Ho- ratius ad populum prouocat. Proclamat pater, se fi- liam iure caesam iudicare, ni ita esset, se patrio iure in filium animaduersurum. Commouit senex, habita ora- tione, populum, vt Horatium magis admiratione vir- tutis, quam iure causae absolueret. Ne tamen haec caedes tam atrox impunita videretur, imperatum patri, vt filium expiaret pecunia publica. Quo facto Horatii iudicium absolutum est.

§. II.

*Romulus ipse de criminibus atrocioribus iudicauit,
quod tamen Tullus mutauit.*

Exposita breuiter totius rei historia, liceat nunc etiam ad historiam duumuirorum capitalium progredi. Vt tamen eo melius, quid noui, institutis duumuiris capitalibus, introductum sit, intelligatur, res paulo altius repetenda erit. Atque hoc quidem certum est, primis temporibus potestatem, de criminibus atrocio- ribus iudicandi, non fuisse penes Senatum populumue,
sed

sed penes Regem ipsum. Romulus enim, concessa Senatui de leuioribus tantummodo criminibus iudicandi potestate, sibi ipse de publicis et capitalibus, quae postea dicta sunt, delictis, decernendi ius reseruauit. c) Quem in finem, cum intelligeret, subditos suos timore metuque maxime a maleficiis deterreri posse, et ut se ipse venerabilem insignibus imperii faceret, ut loquitur LIVIUS I. 8. duodecim, qui cum fascibus et securibus praerent, assumtis lictoribus, tribunal, ubi ius diceret, in loco fori conspicuo instituit, ut ibi praesentibus CCC. Celeribus atrociorum criminum rei in conspectu omnium capite plecterentur. d) Verum non diu vixit haec lex Romuli. Tullus enim Hostilius cum in causa Horatii ipse iudicare dubitaret, instituit, lata noua lege, duumuiros, qui loco eius iudicarent. Legem vero ipsam hisce verbis conceptam fuisse LIVIUS I. 26. tradit: *Duumuiri perduellionem indicent. Si a duumuiris prouocari, prouocatione certato; si vincent (duumuir) caput obnubito: infelici arbori riste suspendito. Verberato vel intra pomoerium vel extra pomoerium.* Quae quidem verba, etsi primo intuitu satis clare dicta videantur, tamen mirum est, quam variae huius loci extent interpretum praestantissimorum explicationes, quarum quasi indicem exhibet GEBAVERVS. e) Ego quidem ea, quae

e) DIONYS. I. I. p. 87. edit. Syllburg.

d) IDEM I. II. p. 99.

e) In Tullio Hostilio obseru var. illustr. §. X. in eius exerc. acad. Vol. I edit. V. C. Weismantelii, quae prodit Erfordiae 1776.

X

quae a scopo meo aliena sunt, praetermittens, de iis tantum, quae ad rem facere videntur, pauca pro virili dicam.

§. III.

Duumviri capitales non veteri instituto, sed a Tullo noviter creati sunt.

Et primum quidem dubitant nonnulli, duumviri perduellionis an tum primi facti, an veteri iam lege creati? Sunt qui eos veteri iam instituto creatos dicant, quos inter est PIGHIVS, f) SIGONIUS, g) RAEVARDVS h) POLLETTVS i) Prouocant ad laudatum LIVII locum, vbi ita legatur: *duumviros, qui Horatio perduellionem indicent, secundum legem facio.* Ex quo loco sequitur, inquiunt, veterem iam extitisse legem de duumviris creandis, *secundum quam* Tullus eos fecit. Ast quid? si hunc locum ita interpungamus: *indicent secundum legem, facio: k)* tunc hoc tantummodo sequitur, de crimine tantum, non vero de *duumviris* latam fuisse legem. Quae quidem lectio maiorem praese habet veritatis speciem. Quae enim est lex illa vetus? An Romuli? Ast ille de duumviris capitalibus neque legem tulit, tacente LIVIO ET DIONYSIO; neque potuit, cum, vt iam dixi, *ipse* de criminibus atrocioribus

f) Annal. tom. I. p. 18. et 35.

g) de iudiciis pop. Rom. L. III. cap. IV.

h) ad legg. XII. tabb. C. XXVII.

i) hist. fori Rom. L. V. C. XVI.

k) Cf. DRACKENBORCH, ad laud. LIVII locum.

ribus iudicaret. Atque LIVII auctoritati contrarium est, si cum LIPSIUS, *l*) aliisque, hanc Tulli legem Romuleis legibus adnumeramus. An vero Numae? En! iterum silent auctores historici. Neque credibile videtur, LIVIUM et DIONYSIUM Romuli Numaeque leges diligenter proponentes, hanc legem, quae certe non est nullius momenti, silentio praeteriisse, cum alia minus memorabilia instituta copiose enarrent. Quid? quod nulla duumvirorum capitalium ante Tullum fit mentio, quod certe factum non esset, si iam in usu fuissent. Deinde, si ante Tullum haec lex lata fuisset, sequeretur, iam ante eum habuisse populum capitalium iudiciorum potestatem, quam tamen non, nisi Horatiani iudicii occasione adeptam esse, diserte tradit DIONYSIUS L. III. Et sane ex ipsius legis historia, Tullum eius esse auctorem, adparet. Ex Romuli enim, de quo iam dixi, instituto, nemo nisi Rex de criminibus atrocioribus poterat iudicare, vnde Horatium, patratu caede, non ad Senatum Populumue, verum ad *regem* in ius raptum esse, scribit LIVIUS. Rex vero Tullus, ne ipse ex rationibus iam supra adductis Horatiani supplicii auctor esset, instituit, qui loco suo iudicarent, duumviros. Ex quibus omnibus satis effici puto, nemini iure, nisi Tullo Hostilio *m*) posse hoc duumvirorum institutum tribui.

B 2

§. IV.

l) in collect. legum regiar.

m) Nulla igitur fides habenda esse videtur CICERONI, tribuenti in *Orat. pro C. Rabirio C. IV.* hoc institutum Tarquinio superbo. Itaque aut corruptus fit oportet hic CICERONIS locus, quod etiam placuit multis viris doctis; quis enim dicat, *Nulla igitur fides habenda esse videtur Cic-*

§. IV.

*Indicauerunt duumviri secundum Romuli atque Numae
de parricidio leges.*

Creavit itaque Rex Tullus duumviros, qui secundum legem iudicarent. Verum secundum quam? Repexit sine dubio Tullus ad Romuli Numaeque leges, quas de parricidio tulerant. Testatur enim PLUTARCHVS, ⁿ⁾ Romulum dedisse legem de parricidio, ubi illud tanquam singulare quid adnotat, Regem sub parricidii voce omne omnino comprehendisse homicidium, nihilque de parricidio proprio ea quidem de causa sanxisse, quod negaverit, hominum vllum criminis illius atrocissimi esse capacem, qua quidem in re Romulo similis fuit *Solon*, qui interrogatus, cur nihil de parricidio statuisset, respondit, quia putaret, neminem unquam esse tam inauditum crimen commissurum. ^{o)} Nec mirum cuiquam videri debet illud Romuli sanctum, cum suis temporibus inauditum, atque nunquam commissum crimen fuerit parridium, donec post bellum Annibalis L. Hostilius, qui primus patrem, et in bello Cimbrico Pablicius Malleolus, qui primus matrem interficeret, inueniretur. Atque hanc Romuli legem reperit firmavitque, qui eum excepit,
Numa

ronem adeo latuisse patriam historiam, ut ita errare potuerit? Aut dicendum est, factum id esse a Cicerone propterea, quod putaverit, populum eo facilius non esse iudicaturum in causa Rabirii secundum hanc legem, si eam iuberet regi, quem populus semper tam atrociter detestatus sit.

ⁿ⁾ in vita Romuli, C. XLII.

^{o)} CICERO pro Rosc. Amer, C. XXV.

Numa Pompilius. Is enim non solum dolosi, quod dicitur, parricidii, verum etiam, quod omiserat Romulus, culposi poenam statuit. Verba ipsa legis si quaeris, exhibent FESTVS ET SCALIGER: p) *Sei quis hemonem leiberom sciens morti duit parricidat esto; sei im imprudens se dolo malod occisit pro kapite occisei et nateis eius endo concione arietem sobiucio;* quae quidem lex adeo placuit populo, vt decemviri in legg. XII. tabb. eam referre, haud dubitauerint. En igitur legem, secundum quam sententiam ferre cogebantur duumviri!!

§. V.

Horatio, licet homicida fuerit, tamen perduellionem indicari potuisse.

Ast Horatius nec parricidii, nec perduellionis, sed homicidii reus fuit. Verum hic scrupulus facili remoueri poterit negotio, si originariam harum vocum significationem paulo adcuratius indagaueris. Constat enim ex FESTO, q) PLVTARCHO I. c. aliisque, antiquis temporibus parricidae nomine non solum venire eum, qui patrem matremue, auum auiamue, occiderit, sed qui qualemcunque hominem, vnde quoque, quae lege Cornelia de Sicariis, Pompeia de parricidiis sancita sunt, ad prima reipublicae Romanae tempora pertinere haud posse, nemo non facile intelliget. r) Atque idem dicendum

B 3:

dum

p) Ille f. v. *parici quaeffores*, hic in notis ad Festum f. v. *subici*.

q) S. v. *parici*

r) Nec admittenda viderur, quam multi sibi sinxerunt, distinctio, inter *paricidam* et *parricidam*, quod ille sit, qui *parem*, i. e. cinem

dum est de perduellionis vocabulo. Quem enim fugit, ab initio neque crimen perduellionis a maiestatis crimine distinctum, neque eum perduellem dictum esse, qui, vt scribit VLPIANVS, s) aduersus populum principemue hostili animo sit animatus; sed quemlibet, qui crimen quoduis atrox commiserit. Ex quibus patet, eum etiam perduellionis accusari potuisse, qui quamcunque patrasset caedem. t) Quamuis igitur Horatius proprie fuerit homicida, tamen perduellionem ei iudicari et potuisse et debuisse, adparet, quoniam, qui capite plecti debebat ciuis, iam ante legem Porciam ciuium numero exemptus, perduellis debebat iudicari, i. e. pro hoste declarari, vt explicat GAIVS. u) Hostem vero poena capitali plecti potuisse, quis est, qui nesciat?

§. VI.

Nec subsequentes reges aliquid mutasse, nec libera republ. sublato esse duumuiros exemplis probatur.

Mutasse tamen illud duumuiorum perduellionis iudicium videtur Rex Seruius Tullius. Is enim, iure cognoscendi de criminibus tam publicis, quam priuatis, inter se aliosque iudices diuiso, laesae solummodo rei-

occiderit, hic vero, qui patrem. Distinuerunt ita PAVLVS MANVTVS *de legg. Rom.* c. XXVI. GEBAVERVS *diff. cit.* aliique. Enim vero cum nullo nitatur idoneo argumento, nihil impedit, quo minus pro mera coniectura habeatur.

s) l. vii. D. ad leg. Iul. Mai.

t) GODELLEVEVS ad Liu. l. c. HADR. TVRNEBVS *Aduersf.* XVII. 7.

u) l. 234. de V. S.

reipublicae criminis se ipse fecit iudicem, reliquarum litium priuatarum cognitionem deuoluens ad alios iudices delegatos, quibus tamen, ne quid iniusti ab iis in iudicando posset committi, leges, quas in decernendo sequerentur, praescripsit. v) Simile quid fecisse videtur Tarquinius superbus, qui, vt regnum, cuius turpissimo scelere potitus erat, metu firmaret, iudicia capitalia, sine consiliis, per se solus exercuit. x) Verum tamen non pertinuisse has regum leges ad perduellionis iudicium, ex eo colligi posse videtur, quod libera semper republica, si quis perduellionis reum se fecisset, creati sunt, vt antea, duumviri. Sic traditum est de Sp. Cassio Cos. y) Is enim, cum de regno cogitaret, (quam ob rem, vt largitionibus plebis sibi reconciliaret fauorem, primam legem promulgauit agrariam, quam tamen, Virginio Cos. collega, totoque senatu intercedente, perferre non potuit) vbi ipsi a questoribus Caesone Fabio et L. Valerio dies perduellionis dicta esset, populi iudicio damnatus est. z) Eadem fuisse M. Man-

v) DIONYS. L. IV. p. 228.

x) LIVIUS I. 49.

y) LIV. II, 41. DIONYS. VIII. p. 544. VAL. MAX. V. 8.

z) Non me fugiant quidem variae variorum de Cassii morte sententiae, et LIVIUS ipse dicit: fuisse alios, qui a patre, vi patriae potestatis et tanquam a iudice domestico, quod indicant verba: *cognita domi causa*, eum occisum esse dixerint. Quid quid sit, illud certe ex eo, quod alii dicant, a duumviris siue quaestoribus perduellionis diem ei dictam esse, apparet, duumviro illos non ignotos eo tempore fuisse. Cui accedit, quod ipse LIVIUS dicat, hanc opinionem propiore esse fidem.

XVI

Manlii fata testantur LIVIUS ET PLVTARCHVS. a) Mota enim ab eo plebis in patricios seditione, a duumiris, qui de perduellione anquirent, damnatus, de saxo Tarpeio deiectus est, de cuius quidem iudicio hoc memorabile est, quod non in Campo Martio, vbi semper huc vsque habitum erat, populo centuriatim citato, perduellionis iudicium, sed in Petelio luco extra portam Flumentanam, vnde conspectus in Capitolium non esset, peractum est. b) Nemo denique erit, quem lateat, C. Rabirium perduellionis crimine a T. Labeno accusatum, a Iulio et Caio Caesare duumiris perduellionis damnatum, ad populum prouocasse? c) Ex his itaque, quae adduxi, exemplis, vt plura praeteream satis superque demonstratum esse videtur, stante semper libera republ. adhibitos esse perduellionis duumiros. Nullum itaque dubium est, quin, quae subsequen-
tibus temporibus lege Calpurnia repetundarum, deinde
aliis

a) ille L. VI. c. 20. hic in vita Camilli c LX.

b) Fateor equidem, ex LIVIO non certe constare, quod Manlius a duumiris damnatus sit, cum dubitanter dicat, fuisse auctores, qui Manlium per duumiros damnatum esse, dixerint. At hoc tamen ex eo intelligitur, duumiros non in desuetudinem abiisse. Qui potuissent enim auctores, ad quos pronocat Lilius, dicere, creatos esse duumiros in causa Manliana, si non amplius in vsu fuissent? Deinde illud nonnullis dubium mouit, quo iure Tribuni potuerint esse accusatores, quos tamen non, nisi in comitiis *tributis* agere potuisse constat. Verum dicendum videtur, fuisse hoc extraordinarium quid, neque fieri potuisse a Tribunis, nisi impetrata a Consulibus potestate. SIGONIVS *de iudicio* III 5.

c) de qua re vide, praeter totam CICERONIS pro Rabirio orationem, DIONEM l. XXXVII. p. 47. ed. Steph. HOTTOMANN. Obs. II. 8. SVETONIUM Iul. Cael. C. XII. ibique CASAVBONVM ET TORRENTIVM.

aliis legibus de peculatu, de ambitu, de maiestate, imprimis vero legibus L. Cornelii Sullae de falsis, de sicariis, de parricidiis, de iniuriis, constitutae sunt quaestiones publicae atque perpetuae, ad reliqua quidem iudicia capitalia, non vero ad perduellionis pertinuerint. d)

CAPVT II.

DE PROVOCATIONE AD POPVLVM.

§. I.

Tullus primus concessit prouocandi ad populum potestatem.

Haec haecenus de duumiris capitalibus. Sequitur nunc, vt de prouocatione ad populum Horatio condemnato a Tullo concessa, pauca adhuc addam.

Quo

d) Sed quid nunc fiet verbis Ciceronis, qui in orat. pro Rabir. c. 3. ita scribit: *de perduellionis iudicio, quod a me sublatum criminari soles, cet. et paulo post: quae verba (i licitor, colliga manus, quae nimirum adhibebantur in perduellionis iudicio) iam pridem, non solum reuebris vetustatis, verum etiam luce libertatis oppressa sunt.* En igitur iudicium perduellionis sublatum. Itaque aut Dioni et Suetonio, aut Ciceroni fides est deneganda. Verum dicendum videtur, Ciceronem de antiqua iudicii perduellionis forma, quae sub regibus in vsu erat, non vero de ipso iudicio, loqui.

CHREX II J. a. m. O. ed. g.

cc. III. v. III. g.

XVIII

Quo quidem prouocationis remedio nihil melius vtiliusque ad repellendas magistratum iniurias semper visum est legislatoribus, ut etiam Solon prouocationes a magistratibus ad Summum fenatum, qui summam habebat potestatem, concederet, qua de re testatur *Plutarchus* in eius vita. Ita vero habet *LIVIVS* L. I. C. XXVI. *se a duumviris prouocavit, prouocatione* (ita potius cum *TANAQVILLO FABRO* legendum videtur, quam *de prouocatione*) *certato*. Qua quidem re nihil melius ad conferendam civium Romanorum libertatem potuisset introduci. Nunc enim, si quis forte a magistratibus iniuste esset condemnatus, habebat, quo se ab eorum iniuriis tueri posset, cum populus, facta prouocatione, iudicandi potestatem de eo crimine, cuius adcusatus erat prouocans, nancisceretur, adeoque non amplius magistratus, sed ipse populus iudicaret, qui quidem ciues iniuria condemnatos statim absoluebat. Vnde non immerito *urbis patronam, libertatis vindicem* eam appellat *CICERO*. e) Debuerunt itaque ciues Romani hoc saluberrimum institutum Tullo, qui, ut dixi, cum speraret, populum facile esse Horatium parricidam propter recens eius meritum absoluturum, ei concessit ad populum prouocationem. Nec opus erat, ut ipse prouocaret condemnatus, sed poterant etiam alii, si qui adessent, pro eo prouocare, quod saepius fecere patres pro filiis, ut ex ipsa Horatii patris pro filio homicida, et Fabii patris pro filio ad populum facta prouocatione intelligitur. f)

§. II.

e) De Orat. c. L. II, c. XLVIII.

f) LIV. VIII 33.

§. II.

*Non tamen dabatur ab initio prouocatio, nisi
in crimine perduellionis et a duum-
uiris capitalibus.*

Prouocari vero non potuisse videtur, nisi in crimine perduellionis. Fuit enim sine dubio haec Tulli lex privilegium Horatio concessum, quod, praeter ea, quae adduxit GEBAVERVS g) ex iis, quae iam proposui, rationibus, quibus motus Tullus instituit duumuiros illos, concessitque prouocandi ad populum potestatem, intelligitur. Cum tamen populo, quod Tullus dederat privilegium, admodum placeret, quoniam propter datam in eo prouocandi potestatem, libertas ciuium salua munitaque videbatur, non patiebatur, vt in desuetudinem abiret, verum semper in perduellionis crimine adhiberetur, adeoque vsu quasi et obseruantia vim legis nancisceretur. Ex quo simul, quod ab initio prouocare non nisi perduellis licuerit, patet, a solis etiam duumuiris capitalibus potuisse prouocari, cum reliqui magistratus sine prouocatione essent. Quo enim pacto a Consulibus vel Praetoribus potuisset prouocari, cum Tullus prouocandi ius concesserit tantummodo perduellionis reis, reliqui vero magistratus huius criminis notione essent destituti? Multo minus ab ipso Rege prouocabatur, quia eius po-

C 2

te-

g) Diff. cit. §. XII.

testas summa est, vt stultum sit, vt inquit VLPPIANVS *b)* a principe appellare, cum ipse sit, qui prouocetur. Vnde notandus videtur POLLETTVS, *i)* dum dicit, in caede Horatiana a Rege Tullo et duumuiris prouocatum esse, nouo quodam et posteris inusitato exemplo. Ipse enim Tullus non iudicauit, verum instituit, qui loco eius iudicarent, duumuiros, a quibus etiam damnatus Horatius ad populum prouocauit.

§. III.

Variarum de prouocatione legum recensio.

Variis vero deinde legibus ita firmata est atque aucta prouocandi libertas, vt ab omnibus omnino magistratibus, paucis exceptis, prouocatio fieri potuerit. Nolo iam plenius de his legibus dicere, cum ab aliis iam satis expositae sint, sed sufficiat eas commemorasse. Et prima quidem lex est Valerii Ppublicolae, *qui cum regnum adfectare videretur populo, tulit leges, quae eum ab hac suspitione non solum absoluerent, sed adeo in contrarium vererent, vt potius popularem se faceret.* Lex vero, quae huc pertinet, et anno CCXLV. lata videtur, fuit haec: *vt adversus magistratus ad populum prouocare liceret.* *k)* Quae tamen lex mox usu destituta est, creatis reipublicae administrandae decemuiris, penes quos summum erat in ciuitate ius, neque ab iis, sicut ex lege Valeria a reliquis magistratibus, prouocatio fieri poterat, vt tradit Pomponius. *l)* Cum itaque omnes magistratu abdi-

care

b) L. 2. §. 1. D. a quibus app. non lic.

i) Hist. fori Rom. l. III. c. v.

k) LIV. II. 8. DIONYS. P. 334.

l) l. 2. §. 4. de orig. iur. LIV. III. 33.

care cogentur, a decemuiris vero prouocari non posset, facile est ad intelligendum, nullum neque legis Valeriae neque prouocationis fuisse eo tempore usum. Mox tamen restitutum illud plebis auxilium. Vbi enim decemuiri ex senatusconsulto magistratu se abdicassent, creati sunt non solum Tribuni plebis, quod sub decemuiris factum non erat, sed placuit iterum antiqua reipublicae forma, hoc est, creati sunt, ut antea, duo Consules, *penes quos esset summum ius, qui tamen ne per omnia sibi regiam vindicarent potestatem, lege lata factum est, ut ab iis prouocatio ad populum esset. m)* Quod quidem factum est lege M. Duilii, Trib. pl. qui de Consulibus cum prouocatione creandis, rogationem pertulit. *n)* Aucta tamen est Consulium potestas, cum in rebus ciuitatis dubiis turbidisque hoc armarentur Senatusconsulto: *Viderent, ne quid detrimenti respubl. caperet.* Quibus quidem verbis a senatu more maiorum consulibus maxima data est potestas, exercitum parandi, bella gerendi, ciues omnibus modis coercendi, adeoque etiam *sine prouocatione* iudicandi, quae quidem omnia ordine, si Romae essent, non poterant Consules. *o.*

§. IV.

Continuatio.

Quod vero de Consulibus solis cautum erat, id postea variis legibus de reliquis omnibus magistratibus sancitum est. Secuta enim est hanc Duilii legem, lex

C 3

Vale-

m) l. 2. §. 16. de orig. iur.

n) Liv. III. 54.

o) SALLVSTIVS bell. Catil. p. m. 79. cf. omnino, qui fusius hae de re egit, SIGONIVS de aut. iur. prov. L. III. c. X.

Valeria de prouocatione altera. Lucius enim Valerius, et M. Horatius Coss. varias in plebis gratiam leges tulerunt, quas inter est lex, de qua loquor, de prouocatione, qua eam, vnicum libertatis praesidium, decemuirali potestate euersam, non restituerunt modo, sed etiam in posterum munierunt, sanciendo: *ne quis vllum magistratum sine prouocatione crearet, qui creasset, eum ius fasque esse occidi, neue ea caedes capitalis noxae haberetur.* Quam quidem legem alia repetiit, de quo iam dixi, M. Duilius, qui ita sanxit: *qui magistratum sine prouocatione creasset, tergo ac capite puniretur.* p) Quae tamen leges, cum, teste LIVIO, q) quia paucorum opes plus poterant, quam libertas plebis, vigore vsuque saepius desituerentur, factum est, vt anno CCCCLII. Consul M. Valerius tertiam de prouocatione legem Valeriam diligentius sanciret, prioresque renouaret, hoc modo: *vt ne is qui prouocasset, virgis caederetur securique necaretur, si quis aduersus ea fecisset, improbe factum esse.* Atque etiam huc pertinere videntur, quae de ciue Romano iniustū populi capite non puniendo, legibus XII. tabb. hoc modo cauta sunt: *de capite ciuis Romani nisi per maximum comitiatum (i. e. comitiis) centuriatis ne feruntur.* Eadem ratione praeteriri non debent, quibus haec XII. tabb. lex confirmata est, leges Semproniae et lex Porcia, de cuius tamen aetate et auctore non conueniunt eruditi. Lata tamen esse videtur a Porcio Laeca Trib. quod ostendit nummus argenteus, quem recte interpretatus est CONRAD. r) De quibus omnibus tamen legibus praeter ea, quae

p) LIV. III. 54. 55.

q) L. X. c. IX.

r) in parerg. L. I. p. 58. seqq.

quae SIGONIVS, s) PAVLVS MANVTIVS. t) ANT. AVGVSTINVS, u) PORRETVS v) alii, commentati sunt, iam nihil addendum videtur. Et si vero hae leges de omnibus loquantur magistratibus, ita quidem, vt, si quis ciuem Romanum aduersus prouocationem verberasset necassetue, teneretur lege Iulia de vi publica, punireturque aquae et ignis interdictione, vel, quae in eius locum successit, deportatione, x) pauci tamen, a quibus prouocatio non dabatur, excepti erant magistratus. De decemuiris iam dixi; Dictatorem etiam ab initio sine prouocatione fuisse, donec postea, latis de prouocatione legibus Valeriis et Horatiis, (a quo quidem tempore desit dici: *optima lege*) ab eo etiam, sicut a reliquis magistratibus prouocatio daretur, constar. y) Centumuiros denique etiam sine prouocatione fuisse, auctor est SICCAMA. z)

§. V.

Aliter vero res se habuit sub Imperatoribus.

Atque ita se res habuit republica libera, secus sub Imperatoribus. AVGVSTVS enim, sicut in causis ciuilibus

- s) de Ant. iur. Civ. Rom. L. I. c. VI.
- t) de legibus Rom. c. V.
- u) de legibus in Duilia, Porcia, Sempronia et Valeria.
- y) hist. fori Rom. L. V. c. XVI.
- x) l. 7. D. ad leg. Iul. de vi publ. PAVLI rec. sent. L. V. Tit. XXVI. §. I.
- y) l. 2. §. 18. D. de orig. iur.
- z) de Iudic. centumv. L. 1. c. VI.

bus appellationes vrbanoꝝ litigatorum quotannis Praetori (sue vt legi maualt CASAVBONVS: *praefecto vrbano*), prouincialium vero consularibus viris, quos singulos cuiusque prouinciae negotiis praeposuisse, delegauit: *a*) ita sibi grauiorum, atque adeo criminalium rerum appellationes reseruauit. *b*) Ad Imperatorem itaque, non ad populum prouocandum erat condemnatis. Verum CALLIGVLA, quo magistratibus gratificaretur, liberam iis iurisdictionem et *sine* sui appellatione concessit. *c*) Quod tamen iterum mutauit NERO, qui statuit, vt omnes appellationes a iudicibus ad Senatum fierent, *d*) quamuis id tantummodo de causis ciuilibus intelligendum videatur, quod patet ex TACITO, *e*) qui Neronem patrum honorem auxisse scribit, quia statuerit, vt qui a *privatis* iudicibus ad Senatum prouocassent, eiusdem pecuniae periculum facerent, cuius ii, qui Imperatorem appellauerunt.

a) SVETON. Aug. c. XXXIII.

b) DIO L. LI.

c) SVET. Calig. c. XVI.

d) IDEM Ner. c. XVII.

e) Annal. XIV. 26.



74
NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
AVCTORI ET DEFENSORI

S. P. D.

PRAESES.

Quem mihi perlustrandum tradideras docte ac eleganter abs TE proprio Marte conscriptum libellum, reddo TIBI nulla literula vel demta, vel adiecta, vel immutata: adeo totus ille est TVVS. Equidem, etsi in huius laboris societatem TECum haud veni, tamen, quod in hac commentatione publice defendenda socium me TIBI adiunxeris, laetor eo vehementius, quo magis insigne TVVM in litteris addiscendis studium, per plures annos mihi, quotidiano TVAE diligentiae testi, probatum, doctrinaque haud vulgaris, quam TIBI comparasti, ex ea elucet. Ceterum nihil habeo, quod addam, nisi ut eo, quo haecenus me amasti, animo, me prosequi pergas. Vale resque TVAS age feliciter.

NOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO

AVCTORI ET BENEVOLORI

PRÆSES

[Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

2

S

C

141



ULB Halle
005 377 420

3







Præ. 30. num. 19. 3

177743.

DE

IVDICIO HORATIANO EIVS.
QVE IN IVRE VSV

EXERCITATIO IVRIS CIVILIS

QVAM

ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAESIDE

D. AVGVSTO FRIDERICO SCHOTT

ANTIQVIT. IVR. PROF. PVBL. ORDINIS ICTORVM ASSESSO-
RE, ET COLLEG. MINOR. PRINC. SODALI

DIE XXVII. MAII A. O. R. CIOCCCLXXVII.

H. L. Q. C.

DEFENDET

AVCTOR

IO. FRIDERICVS IVNGHANNVS

ANNABERGENSIS.

LIPSIAE

EX OFFICINA LOEPPERIA.

